

PATROLOGIÆ EDITORIS MONITUM IN DUOS SUBSEQUENTES LIBELLOS.

Libelli subsequentes, supra, capitibus primo et quarto libri de *Temporum Ratione*, legi potuerunt. Qua auctoritate hæc loca eis attribuimus, in monito quod prædicto operi præfiximus dictum est. Qua vero ratione nunc eos iteramus, hic paucis est explicandum.

Nobis utrosque tractatus daturis duæ lectiones, satis quidem inter se dissimiles, sese præ aliis offerebant: prima, quam Brideserti Joannisque Noviomagi commentariis ditatam tradidere veteres editiones; altera a doctore Giles ex plurimorum codicum collatione prolata. Hanc recudere expediens censuimus; ne vero lector commentariis quibus allusimus frustraritur, eos et cum eis libellos ipsos integre reproduci curavimus.

DE LOQUELA PER GESTUM DIGITORUM ET TEMPORUM RATIONE LIBELLUS.

IN EUMDEM LIBRUM EPISTOLA CUJUSDAM DOCTI AD LECTOREM.

Quoniam fortasse ut res quædam nova computandi ratio a doctissimo Beda tradita, ita etiam levius quidpiam tibi facile videri possit, quam quod te (viro gravissimo) dignum sit, statui e re fore, si tibi cum Græcorum tum Latinorum testimonia quædam proferrem, quibus hæc numerandi rationem haud modo nostris, isque antiquioribus quam Beda ac Hieronymus fuerint, verum etiam ipsis Græcis in usu fuisse perspicias. Ita enim facile fore confido, ut munus nostrum tam gratum tibi futurum sit quam quod gratissimum. Quare jam Plutarchum illum Chroneum primum, testimonium Græce dicentem audiamus.

Plutarchus, per initia Apophthegmatum regum et imp.

Ὁρόντης ὁ βασιλέως ὁ Ἀρταξέρξου γαμβρὸς, ἀτιμία περιπεσὼν δι' ὄργην καὶ καταγνωσθεὶς, ἔζη, γοθῶπερ οἱ τῶν ἑριθμητικῶν δάντυοι, νῦν μὲν μυριάδας, νῦν δὲ μονόδα τιθέναι δύνανται. τὸ αὐτὸ καὶ τοὺς τῶν βασιλέων φίλους, νῦν μὲν τὸ πᾶν δύνασθαι, νῦν δὲ τοῦλάχιστον. Hoc est, *Orontes regis Artaxerxis gener, cum ob iram inhonoratus condemnatusque jacebat. Quemadmodum (inquit) computatorum digiti nunc decem milia, nunc unum significare possunt, eodem modo et regum amici quandoque omnia, quandoque minimum possunt.*

Macrobius, Saturnal. lib. I.

Inde et simulacrum ejus plerumque fingitur manu dextera trecentum, et sinistra sexaginta quinque numerum tenens, ad demonstrandam anni dimensionem.

Plinius, natur. Hist. lib. xxxiv, cap. 7.

Janus geminus a Numa rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut

A trecentorum quinquaginta quinque dierum nota, per significationem anni, temporis et ævi, se deum indicaret. Sed ut obiter utrumque auctorem emendemus, rectius apud Plinium scriptum est quinquaginta quinque, quam apud Macrobium sexaginta quinque; nam profecto quam anni dimensionem statua a Numa esset constituta? aut certe quonam pacto ea potuit tunc anni ratio indicari, quam multis post annis C. Cæsar pont. max. instituisset? Verba autem illa duo apud Plinium (per significationem) ut adulterina inducenda sunt.

Apuleius, Apologia 2.

Si triginta annos pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu errasse, quos circulare debueris digitos aperuisse. Cum vero quadraginta, quæ facilius cæteris porrecta palma significantur, ea quadraginta tu dimidio augeas, non potes digitorum gestu errasse, nisi forte triginta annorum Pudentillam ratus, binos, cujusque anni consules numerasti.

Quintilianus, Orat. Instit. lib. I.

Nam cum sit geometria divisa in numeros atque formas, numerorum quidem notitia non oratori modo, sed cuicumque primis saltem litteris erudito necessaria est. In causis vero vel frequentissime versari solet, in quibus actor, non dico, si circa summas trepidat, sed si digitorum solum incerto, aut indecoro gestu a computatione dissentit, judicatur indoctus.

Juvenalis, satyra 10.

Sed quid ego plura in re non dubia? quasi vero (lector optimè) jam te ita digitis ludentem videre mihi non videar, ut risum moveas.

INCIPIIT PRÆFATIO.

[BRIDFLRTI RAMESIENSIS GLOSSÆ. — *Præfatio.* Id est prælocuti. *Incipit.* Compositum verbum est ex integro et corrupto, ut, in, integra pars est, et capio, corrupta, a enim mutatur in i, et corripitur. *Incipit* autem est inchoat, vel initium capit, vel exordium sumit. Quidam autem dicunt quod componitur ex in, præpositione, et cæpi, defectivo verbo, quod tantum præteritum habet, et per æ scribitur, et significat exceptionem, vel inchoationem, unde et legimus: Cœpit David arcem Sion.

De natura rerum et ratione temporum, duos quondam: stricto sermone libellos composui; nunc prolixius de temporum ratione (Domino juvante) dicturi necessarium duximus, utilissimam primo,

C promptissimamque flexus digitorum, paucis præmonstrare solertiam, ut cum maximam computandi facilitatem dederimus, tum paratiore legentium ingenio ad investigandam dilucidandamque computando seriem temporum veniamus. Neque enim contemnenda, parvive pendenda est regula, cujus omnes penè-sacræ expositores Scripturæ, non minus quam litterarum figuras monstrantur amplexi.

GLOSSA. *De natura rerum, etc.* Non est prætermittendum, cum dixit *De natura rerum*, cur non etiam de Natura temporum, vel de ratione rerum et ratione temporum dixit. Aliud est ergo de natura rerum disserere, aliud de ratione. Natura rerum, est sub

stantia ipsa spiritualis vel corporalis creaturarum cum qualitatibus propriis, sed prius quærendum de natura temporum, ut facilis ratio eorum appareat, non enim in hoc loco ratio pro natura posita. Natura ergo temporum est mutabilium rerum motus; sed quoniam motus ipse ordinatus est, et naturales numeros non excedit, a Deo creatus est, et creatura ordinata est, et potest propria substantia esse et aliarum creaturarum qualitas, id est ordinata mutabilitas; sed quia motus ipse, qui est temporis substantia, naturales articulos habet, et morarum certa et secreta spatia, cum de ipsis articulis vel morulis aliquid disseritur, ratio temporum appellatur. Non ergo de motibus rerum, auctor istius libri disseruit, sed de articulis et certis spatiis temporalium motionum libellum composuit. Statu, cursu, et fine temporum totus istius libri textus perficitur. Prima enim pars, id est a principio usque ad Chronica, statum, id est naturalem temporum cursum continet. Media vero, id est quæ in Chronicis continentur, cursum temporum, id est quæ in eis facta sunt, pronuntiat. Ultima autem finem temporum, id est reliqua sextæ ætatis et diem iudicii declarat. Namque quamvis tempus semper videatur esse in motu, tamen ad statum redit a quo inchoat. Nunquam enim motus fieri potest, qui non aliquando a statu inchoaverit. Labentibus temporum curriculis, finem cum voluerit imponet. Ubi notandum quia si ipsa tempora finienda esse pronuntiat, difficilis quæstio est. Tempora enim creata et ordinata a Deo substantia sunt. Quomodo ergo creata substantia deficiet nisi forte ipsa signa, cuius motibus efficiuntur, tempora stabilia erunt, et currere cessabunt? Quod nondum credere possunt. Nam si semper cœlestia signa cucurrerint, necesse est tempora finem non habere. Si autem labentes temporum curricula dicunt ea quæ in temporibus aguntur, id est humana negotia, homines nasci, crescere, decrescere, mori, similiter et cætera animalia, ligna, olera, deficere renovari, etc., facilis quæstio est. Ista enim omnia inter curricula finem habebunt, aut certe sic intelligendum est: Omnia tempora, et ea quæ in eis aguntur, finem habebunt, sed ea quæ in temporibus aguntur, ita finem habebunt, ut penitus non sint; ipsa vero tempora ita finiuntur, non ut eorum naturalia cessent spatia, sed ut ipsa currere non sentiantur. Cum enim summis hominibus ipsa æternitas apparuerit, ubi nihil præterit, nihil futurum est, sed semper idem est, tunc quidquid temporum præterlabitur, non sentitur; sicut nos cum requiescimus in somnis, prætereuntia spatia non sentimus, unde Propheta dicit: Melior dies una in atriis meis super millia. Et alibi: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. In nomine namque ebrietatis, oblivio omnium rerum mutabilium intelligitur. Sed omnibus his Hebraicæ veritatis integram profero puritatem, quam præminentissimi doctorum Hieronymus in libris Hebraicar. Question., August. in lib. de Civ. Dei, Eusebius ipse chronographus in tertio Historiæ ecclesiasticæ libro, etc. In libro Hebraicarum questionum sic dicit beatus Hieronymus: Sciendum quod usque ad diluvium, ubi in nostris ducentorum, et quod excurrerit annorum, genuisse quis dicitur in Hebræo habeat centum annos, et reliquos qui sequuntur. Et post pauca: Famosa quæstio, et disputatione Ecclesiarum omnium ventilata, quod juxta diligentem supputationem 14, annos post diluvium Mathusalam vixisse feratur. Et quomodo verum est quod octo tantum animæ in arca salvæ factæ sunt? Restat ergo ut quomodo in plerisque, ita et in hoc sit error in numero. Item unde supra in xv libro de Civitate Dei, sic dicit beatus Augustinus: Itaque illa diversitas numerorum aliter se habentium in codicibus Græcis et Latinis, aliter in Hebræis, ubi non est ista de centum annis prius additis et postea detractis per tot generationes continuata parilitas, nec malitiæ Judæorum, nec diligentiae vel prudentiæ Septuaginta interpretum sed scriptoris tribuatur errori, qui de biblio-

theca Ptolemæi regis Codicem describendum primus accepit, ubi potuit quidem accidere etiam scriptoris et error. Item in eodem libro sic dicit: Nam ex Adam usque ad diluvium computantur anni secundum codices nostros 2262, secundum Hebræos autem 1656. Item in decimo sexto libro, decimo capite, beatus Augustinus: Sunt itaque anni diluvio usque ad Abraham 1072, secundum vulgatam Editionem Septuaginta interpretum. In Hebræis autem Codicibus longe pauciores annos perhibent inveniri, de quibus rationem aut nullam aut difficillimam reddunt, diverso stylo, etiam a pluribus scribi dixerant antea, id est diversa pronuntiatione, non diversa fide, id est non diversa intelligentia. Hoc testimonio utitur sanctus Augustinus contra eos qui sensum verborum ejus intelligere non valentes, dicebant Augustinum non bene scripsisse de his quæstionibus, de quibus alii scriptores bene scripserunt, id est, facilius ex verbis aliorum scriptorum quam ex Augustini scriptis unus atque idem sensus intelligitur. Suadet ergo eis ut relinquunt sua scripta his qui possunt ea intelligere, et recurrant ad eos a quibus facilius sentiunt. Quoniam ideo necesse est plures libros a pluribus auctoribus confici, verbis tantummodo discrepantibus, unum atque eundem sensum habentibus, ut quidquid in uno auctore non intelligitur, in alio facilius intelligatur. Verbi gratia, Hieronymus et Augustinus in una eademque quæstione unum atque idem senserunt; sed ex verbis Augustini intelligo quod Hieronymi non intellexi; tu autem e contrario, Hieronymi sentis quod Augustini non sensisti.

[SCHOLIUM JOANNIS NOVIOMAGI. — De temporum ratione, Domino juvante, dicturi, necessarium duximus, utilissimam primo promptissimamque flexus digitorum, paucis præmonstrare solertiam. Indicat Beda numerorum notationem, quæ sit vario digitorum gestu, necessariam esse computationibus temporum; cum enim cycli solares lunaresque, unde hæc temporum ratio pendet, magnis numeris expediantur, quos scriptis numerorum notis signare molestum esset, complecti tam longam seriem difficile, commodissimum est habere expeditam rationem unum quemlibet numerum exprimere flexibus digitorum, quod primum homines natura admoniti ceu apto digitorum, numero fecisse videntur. Cum enim singulæ manus quinos habeant digitos, unde constat denarius, factus est hic numerus pro digitorum modo perfectus, solus et summus; nam supra denarium continuo pergentes, minores numeros omnis natio reflectit: quod non solum fit vocali numeratione, veluti decem ubi diximus, pergentes non simplici utimur dictione, sed unum repetentes dicimus undecim, id est, decem et unum. Verum in notis idem fit: decem, deinde repetit nota unitatis x et i, quæ sunt undecim; et arithmetici digitum vocant numerum omnem infra denarium, ut i, ii, iii, etc. Horum enim quisque digito aliquo exprimitur, veluti i in levæ manus pollice, ii in ejusdem indice, vi in pollice dextro, et sic deinceps usque ad denarium. Articulos quoque vocant numeratores, qui in decem æquales partes dividi possunt, ut x, xx, xxx, xl; hi enim articulis digitorum exprimentur veluti primus denarius (quando naturali ordine numeratur) in superiore articulo pollicis statuitur, secundus in inferiore. Sed hæc numerandi ratio vulgatissima et pueris nota, quam ob id posui, ut quæ esset digitorum et articulorum origo apud arithmeticos indicaretur pueris. Est alia numerorum notandorum ratio, per calculos in tabula delineata ductibus parallelis positos, quæ et ipsa vetus est, neque ab usu recessit, nisi quod loco calculorum nummis nunc utantur, atque hujus est et fuit usus in numerandi speciebus negotialibus. Nam illa qua etiam nunc utuntur per notas Arabicas, videlicet 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 0, quas ziphras vocant, recens esse videtur, nec veteribus Romanis reliquisve nationibus cognita, nulla enim antiquitatis monumenta has notulas habent insculptas. Sed ad Bedam redeo. Est postremo quidam

doctus et ingeniosus aliter per digitos numerandi ritus, quem hic Beda tradit, quo veteres usos esse pluribus argumentis constat, sed incuria negligentiaque hominum ab usu recessit. Veterem autem apparet ex Plinii libro XLIV, naturalis Hist, c 7, ubi ait Janum dicatum a Numa Pompilio ita figuratis digitis expressum, ut 355 dierum nota per significationem anni temporis et ævi se deum ostenderet; et M. T. Cic. Hortensii subtilem actionis in digitos distributionem aliquoties eludit. Annotatum est quoque in historia Artaxerxis, Orontem generum regis, cum a socero indignatione quadam in ordinem redactus esset, dixisse solitum principum animos persimiles videri arithmetorum digitis; nam sicut computando nunc myriada digitorum gestu conficiunt, nunc monada, sic quoque qui a regibus toti pendent, modo valent plurimum, modo ab illo honoris gradu ad imum devoluti, omnibus sunt derisui. Cælius in antiquis Lectionibus eodem putat referendum esse illud Fabii in institutionibus oratoriis: Si actor (inquit) non dico si circa summas trepidat, sed si digitorum solum imperito aut indecoro gestu a computatione dissentit judicatur indoctus. Sed hoc loco apparet Quintilianum respicere illam vulgarem computationem, de qua supra diximus, quod etiam de Hortensio dici potest. Orator enim apud populum agit, qui has subtilitates sæpe non intelligerent; sed alibi invenio eum manifestius de hac computatione locutum, ut lib. undecimo de formando Gestu, ubi sic habet: Nam gestum poculum poscentis, aut verbera minantis, aut numerum quingentorum flexo pollice, efficiuntis. quæ sunt a quibusdam scriptoribus reprehensa, ne in rusticis quidem vidi, ubi sine controversia hunc computandi modum intelligit: exprimuntur autem, ut et hic ex Bæda discis, quingenta, dextræ manus pollice flexo versus palmam instar litteræ Græcæ, qui gestus in dicendo foret. Legunt alii quinquaginta, locum forte non intelligentes, illa enim exprimuntur sinistra, sed illa manus sola non facit gestum. Est etiam apud Apuleium locus, in secunda Defensione magiæ, qui sine hac parte numerandi intelligi nequit. Notum et illud est:

... Atque suos jam dextera computat annos,
de Nestore, qui ad centum annos pervenit. Centum autem, ducenta et trecenta, sic computantur in dextra, sicut unum, duo, tria in sinistra. Facete Nichardus in vetulam nimio plus vivacem, quæ annis etiam cervos superaret, sic ludit:

Ἡρόδος ἀθρήσασ' ἐλάφου πλέον ἢ χειρὶ λαίῃ
Γῆρας ὑριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξομένην.

Est igitur istius computationis cognitio ad pleraque veterum intelligenda necessaria: quod propterea longius egi, ne frivolum mox iudicetur quod prima fronte non blanditur. Priusquam hic Bedæ liber vulgaretur, incognita ista erant, et sola (ut opinor) hæc vetustas per eum servata est; quare quidquid hujus est, id Bedæ in universum debes. Pueri habent quoque in hac re non injucundam digitorum exercitationem; liberalis namque digitorum extensio et flexus, etiam ad χειρονομίον pertinet.

Tum paratioe legentium ingenio. Nam caput quinquagesimum quintum, quod est de recursu cy-

clorum solarium menstruorum, expeditur ea numeratione, quæ fit flexu digitorum.

Permulti siquidem alii alias, et ipse divinæ interpretis historiæ Hieronymus, in evangelicæ tractatu sententiæ hujus adjumentum disciplinæ non dubitavit assumere: Centesimus (inquit) et sexagesimus, et tricesimus fructus, quanquam de una terra, et de una semente nascitur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias; nam et ipsa digitorum conjunctio, quasi molli osculo se complectens et foederans, maritum pingit et conjugem. Sexaginta, ad viduas, eo quod in angustia et tribulatione sint positæ, unde et in superiore digito deprimuntur, quantoque major est difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto majus et præmium.

[BRIDFERTI RAMESIENSIS GLOSSA. — *Permulti siquidem alii alias, et ipse divinæ interpretis historiæ Hieronymus evangelicæ tractatum sententiæ, hujus adjumentum disciplinæ, non dubitavit assumere.* In Evangelio Matthæi, capite decimo tertio, ubi scriptum habetur. Qui vero in terra bona seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, sic dicit sanctus Hieronymus, capite trigesimo quinto in Matthæum: primum ergo debemus audire, deinde intelligere, et post intelligentiam fructus reddere doctrinarum, et facere vel centesimum fructum, et sexagesimum atque tricesimum. De quibus plenius in libro contra Jovinianum diximus, et nunc breviter perstringemus, centesimum fructum virginibus, sexagesimum viduis et continentibus, tricesimum sancto matrimonio deputantes.]

Porro centesimus numerus (quæso, diligenter lector attende) a sinistra transfertur ad dextram, et iisdem quidem digitis, sed non eadem manu; quibus in læva manu, nuptæ significantur et viduæ: circulum faciens, exprimit virginitatis coronam.

[JOANNIS NOVIOMAGI SCHOLION. — *Et ipse divinæ interpretis historiæ Hieronymus.* Apud Matthæum locus est capite decimo tertio, de agricola qui exiit ad seminandum; quo loco Servator noster triplicem facit fructiferi soli differentiam: ex primo fructum vigecuplum, ex secundo sexagecuplum, tertio centuplum sustulit: in qua parabola divus Hieronymus libro primo contra Jovinianum, maximum numerum refert ad virgines, proximum ad viduas, minimum ad matrimonium: sumpta confirmatione festiva, magis quam necessaria, a digitorum gestu, quam eleganter hoc loco Beda explicuit. Eum autem locum Erasmus conjecturis exposuit, sic tamen ut a veritate non aberret; in Bedæ librum tum nondum inciderat. Postea tamen ubi forte eum alicubi nactus esset, ex ipso auctore rem egi.

Tres digiti in manu dicuntur: auricularis, medicus et impudicus; cæteri duo, index et pollex.]

INCIPIT LIBELLUS.

Primo fit indigitatio in læva manu, tali modo.

Cum ergo dicis unum, minimum in læva digitum inflectens, in medium palmæ artum infiges.

Cum dicis duo, secundum a minimo flexum ibidem impones.

Cum dicis tria, tertium similiter afflectes.

Cum dicis quatuor, itidem minimum levabis.

Cum dicis quinque, secundum a minimo similiter eriges.

Cum dicis sex, tertium nihilominus elevabis, medio duntaxat solo, qui medicus appellatur, in medium palmæ fixo.

Cum dicis septem, minimum solum, cæteris inte-

rim levatis, super palmæ radicem pones. Juxta quod.

Cum dicis octo, medicum.

Cum dicis novem, impudicum, e regione compones.

Cum dicis decem, unguem indicis in medio figes artu pollicis.

Cum dicis viginti, summitatem pollicis inter medios indicis et impudici artus immittes.

Cum dicis triginta, ungues indicis et pollicis blando conjunges amplexu.

Cum dicis quadraginta, interiora pollicis lateri vel dorso indicis superduces ambobus duntaxat erectis.

Cum dicis quinquaginta, pollicem exteriori artu instar Græcæ literæ Γ curvatum, ad palmam inclinabis.

Cum dicis sexaginta, pollicem (ut supra) curvatum, indice circumflexo diligenter a fronte præcinges.

Cum dicis septuaginta, indicem (ut supra) circumflexum pollice immisso superimplebis, ungue duntaxat illius erecta trans medium indicis artum.

Cum dicis octoginta, indicem (ut supra) circumflexum, pollice in longum tenso implebis, ungue videlicet illius in medium indicis artum infixa.

Cum dicis nonaginta, indicis inflexi unguam radicis pollicis infiges.

Hactenus in læva, aut sinistra manu.

Secundo, fit indigitatio in dextera, sic :

Centum vero in dextera, quemadmodum decem in læva facies.

Ducenta in dextera, quemadmodum viginti in læva.

Trecenta in dextera, quemadmodum triginta in læva.

Quadringenta in dextera, quemadmodum quadraginta in læva.

Quingenta in dextera, quemadmodum quinquaginta in læva.

Sexcenta in dextera, quemadmodum sexaginta in læva.

Septingenta in dextera, quemadmodum septuaginta in læva.

Octingenta in dextera, quemadmodum octoginta in læva.

Noningenta in dextera, quemadmodum nonaginta in læva.

Item mille in dextera, quemadmodum unum in læva.

Duo millia in dextera, quemadmodum duo in læva.

Tria millia in dextera, quemadmodum tria in læva.

Quatuor millia in dextera, quemadmodum quatuor in læva.

Quinque millia in dextera, quemadmodum quinque in læva.

Sex millia in dextera, quemadmodum sex in læva.

Septem millia in dextera, quemadmodum septem in læva.

Octo millia in dextera, quemadmodum octo in læva.

Novem millia in dextera, quemadmodum novem in læva.

In reliqua parte corporis indigitatio, primo cum lævi manu.

Porro cum dicis decem millia, lævam in medio

A pectori supinam appones, digitis tantum ad collum erectis.

Cum dicis viginti millia, eandem pectori expansam late superimpones.

Cum dicis triginta millia, eadem prona, sed erecta, pollicem cartilagini medi pectoris immittes.

Cum dicis quadraginta millia, eandem in umbilico erectam supinabis.

Cum dicis quinquaginta millia, ejusdem (scilicet lævæ) pronæ, sed erectæ, pollicem umbilico impones.

Cum dicis sexaginta millia, eadem prona femur lævum desuper comprehendes.

Cum dicis septuaginta millia, eandem supinam femori superimpones.

B Cum dicis octoginta millia, eadem pronam femori superpones.

Cum dicis nonaginta millia, eandem lumbos apprehendes, pollice ad inguina verso.

Hactenus in læva, nunc ad dexteram.

At vero cum centum millia dicis, dextram manum in medio pectoris supinam appones, digitis tamen ad collum erectis.

Cum dicis ducenta millia, eandem pectori expansam late superimpones.

Cum dicis trecenta millia, eadem prona, sed erecta pollicem cartilagini medi pectoris immittes

Cum dicis quadringenta millia, eandem in umbilico erectam supinabis.

Cum dicis quingenta millia, facies cum ipsa dextera, quemadmodum quinquaginta millia in læva.

C Cum dicis sexcenta millia, facies cum dextera quemadmodum sexaginta millia in læva.

Cum dicis septingenta millia, facies cum dextera, quemadmodum septuaginta millia in læva.

Cum dicis octingenta millia, facies cum ipsa dextera, quemadmodum octoginta millia in læva.

Cum dicis noningenta millia, facies cum dextera, quemadmodum nonaginta millia in læva.

Cum dicis autem centena millia (hoc est centies centum, millio neotericis dicta) ambas sibi manus, incertis invicem digitis implicabis.

[BRIDFERTI GLOSSA. — Jam hic insunt sex illi numerorum integri ordines, in ipsa universa indigitationis ratione.

Primus vero ordo, est unitatum ;

Secundus autem, decadam ;

Tertius est centuriarum ;

Quartus est millenariorum ;

Quintus est decadam millenariorum ;

Sextus, et hic ultimus, est centuriarum millenariorum ordo.

Isidorus, in libro Etymologiarum undecimo : Digniti nuncupati, vel quia decem sunt, vel quia decem juncti existant. Nam habent in se numerum perfectum, et ordinem decentissimum.

Primus, pollex vocatur, eo quod inter ceteros polleat virtute et potestate.

Secundus, index et salutaris, seu demonstratorius, quia eo sere salutamus, vel ostendimus.

Tertius, impudicus, quia cum ipso putredines vulnorum nec ei tangere solent.

Quartus, annularis, eo quod in ipso annulus geritur. Idem et medicinalis, quod eo tria colliria a medicis colliguntur.

Quintus, auricularis, quia ex ipso aurem scalpi-

1	10	100	1000	10000	100000
2	20	200	2000	20000	200000
3	30	300	3000	30000	300000
4	40	400	4000	40000	400000
5	50	500	5000	50000	500000
6	60	600	6000	60000	600000
7	70	700	7000	70000	700000
8	80	800	8000	80000	800000
9	90	900	9000	90000	900000

Tres digiti in sinistra manu, id est auricularis, medicus, impudicus, usque ad novem continent numerum.

Duo digiti in sinistra manu, id est index et pollex, usque ad nonagesimum continent numerum.

Duo digiti in dextra manu, id est index et pollex, usque ad nonagesimos continent numerum.

Tres digiti in dextra manu, id est auricularis, medicus, impudicus, usque ad novem millia continent numerum.

Sinistra manus semper usque ad nonaginta millia per artus digitorum continet numerum.

Dextra manus semper usque ad nonaginta millia per iuncturas digitorum continet numerum.

Pollex, etiamsi cæteris brevior, tamen inter cæteros fortitudine pollet.

Index quoque saluatorius quondam, et demonstratorius dictus.

Pollex et index, in dextra, a centum usque ad noningenta.

Nunc tres alii in eadem dextra manu, a mille usque ad novem millia.

Sinistra per artus dimensos corporis continebit numeros, et dextra per iuncturas et dispositiones membrorum.

Sic habes numerorum omnium per characteres demonstrationem, aut per digitorum inflexionem.

ALIE BBIDFERTI GLOSSÆ. — *Cum ergo dicis unum, minimum in tæva digitorum inflectes, in medium palmæ artum infiges.* In libro de Civitate Dei undecimo, sic dicit beatus Augustinus: Ratio numeri contemnenda non est, quæ in multis sanctarum Scripturarum locis, quam magna æstimanda sit elucet, diligenter intuentibus. Nec frustra in laudibus Dei dictum est: Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti. Et Euc'erius vir sapientissimus ita commemorat: Ille numerus, qui est unus, ad unitatem Dei refertur, ut est in libro Exodi: Audi, Israël, Dominus Deus tuus unus est.

Duo, duo Testamenta. In Regum libris: Et fecit in Dabir duo cherubin decem cubitorum magnitudine.

Tres, ad sanctam Trinitatem. In Epistola Joannis: Tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua et sanguis.

Quatuor, ad quatuor evangelia. In Ezechiele: Et ex medio eorum similitudo quatuor animalium; et Joannes in Apocalypsi sua: Quatuor animalia ante thronum Dei plena oculis ante et retro. Item: Quaternarius enim numerus perfectus est, et in suis partibus divisus perfectionem obinet. Dividitur enim in unum, duo, vel tria. Unum namque ad unum pertinet, quia unus Deus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. Duo, ad geminam dilectionem, vel (ut supra dictum est) ad duo Testamenta. Tres, ad sanctam individuamque Trinitatem, Patris scilicet et Filii et Spiritus sancti. Quatuor autem ad gratiam Novi Testamenti, vel ad quatuor libros sancti Evangelii, quæ maxime in his ascribitur. Quia enim quadratus lapis non fluctuat, sed in quamcunque partem versus fuerit, æqualiter jacet, recte quaternario constantia sanctorum designatur, quia non circumferuntur omni vento doctri-

næ, sed ut firmi lapides sive in prosperis sive adversis, in bonis actibus, et fide constantissime perseverant, considerantes illud quod ait: Qui perseverarit usque in finem, hic salvus erit.

Quinque, ad quinque libros Mosis. Paulus: In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui.

Sex, ad diem sextum, quo Dominus hominem cum universis animantibus fecit. In Genesi: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem. Et factum est vespere et mane dies sextus. Item beatus Gregorius, in homilia 17 super Ezechielem, ita dicit: Sæpe jam diximus senario numero perfectionem boni operis designari, non illud sequentes quod conati sunt hujus sæculi sapientes astruere, dicentes idcirco senarium numerum esse perfectum, quia suo ordine numeratus perficitur, ut cum unus, duo vel tres dicuntur, senarius numerus impleatur; vel quia in tres partes dividitur, id est sexta, tertia et dimidia, videlicet in uno, duobus et tribus. Sed idcirco senarium numerum dicimus esse perfectum, quia sexto die homo est conditus, eoque die Dominus perfecisse opera sua describitur, unde etiam pro perfectione poni senarius numerus solet.

Septem, ad diem septimum, in quo, perfectis omnibus, Dominus requievit. In Genesi: Et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Item beatus Gregorius: Certissime scimus quod septenarium numerum Scriptura sacra pro perfectione ponere consuevit. Unde et septimo die Dominum requievisse ab operibus asserit. Hinc est etiam quod septimus dies in requiem hominibus, id est, in Sabbato est datus. Hinc est quod jubilæus annus, in quo plena iam requies exprimitur, septem hebdomadibus consummatur. Cui monade addito, nostræ adunationis summa impletur. Hæc igitur verba scripta sunt in primo libro Moraliu divi Gregorii. Augustinus, in libro undecimo de Civitate Dei: Septenarius numerus pro cujuscunque rei diversitate poni solet. Unde dicitur: Septies cadit justus et resurgit, id est, quotiescunque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit. Et: Septies in die laudabo te; quod alibi alio modo dictum est: Semper laus ejus in ore meo. Propterea hoc eodem sæpe numero Spiritus sanctus significatur, de quo Dominus ait: Docebit vos omnem veritatem.

Octo, ad diem resurrectionis, id est, octavum. In titulo psalmi: In finem pro octava.

Novem ad sacramentum, quod hora nona Dominus spiritum emisit. In Evangelio: Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, et emisit spiritum.

Decem, ad decalogum legis. In psalmo: In psalterio decachordo psallam tibi.

Duodecim, ad apostolos. In Evangelio: Duodecim autem apostolorum nomina hæc sunt.

Quatuordecim, ad sacramentum Dominicæ generationis. In Evangelio: Ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim.

Quindecim, ad quindecim gradus templi.

Sedecim, ad numerum prophetarum.

Viginti duo, ad sacramentum divinatorum voluminum secundum litteras Hebræorum.

Viginti quatuor, ad mysterium numeri seniorum. In Apocalypsi: Et super thronos viginti quatuor seniores sedentes.

Triginta, ad fructus fidelium conjugum. In Evangelio: Et dabunt fructus aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.

Triginta tres, ad mysterium ætatis, qua Dominus in carne versatus est. In apostolo, sicut quibusdam ex hoc videtur: Donec occurramus in unitatem fidei et agnitionis filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Quadragesima, ad quadragesimæ sacramentum. In Evangelio. Et agebatur spiritu in deserto quadragesima diebus.

Quadragesima duo, ad numerum in eremo mansio-

num vel ad numerum generationum quæ ab Abraham sunt usque ad Christum.

Quinquaginta, ad Pentecosten. In Actibus apostolorum : Cum complerentur dies Pentecostes.

Sexaginta, ad fructum viduis sive continentibus debitum. In Evangelio : Et dabunt fructum, aliud sexagesimum.

Septuaginta duo, ad numerum presbyterorum vel discipulorum quos Dominus elegit. In Evangelio : Post hæc designavit Dominus et alios septuaginta duos et misit binos ante faciem suam in omnem civitatem. Centum, ad martyrum fructum vel virginum. In Evangelio : Et dabunt fructum, aliud centesimum.

Est et alterius modi computus, etc. Articulatim decurrens. Qui, quoniam specialiter ad Paschæ rationem pertinet, cum ad hanc ex ordine ventum fuerit, opportunius explicabitur.

Iste computus pertinet ad decennovalem cyclum, et ad solarem. Et in hoc quod dicit *articulatim*, comprehendit lunarem cyclum.

Potest autem et de ipso quem prænotavi computo quædam manualis loquela, tam ingenii exercendi, quam ludi agendi gratia figurari : qua litteris quis singillatim expressis verba quæ iisdem litteris contineantur alteri qui hanc quoque noverit industriam, tametsi procul posito, legenda atque intelligenda contradat, vel necessaria quoque per hæc occultius innuendo significans, vel imperitos quousque quasi divinando deludens.

Cujus ordo ludi vel loquelæ talis est :

Cum primam alphabeti litteram intimare cupis, unum manu teneto.

Id est, sicut ostendis unum in manu per minimum digitum, sic debes *a* intelligere in ipsa inflexione digiti, et sic de reliquis.

Cum secundam, duo.

Cum tertiam, tria.

Et sic ex ordine cæteras.

Verbi gratia, si amicum inter insidiatores positum, ut caute rem agat, admonere desideras, digitis ostende :

Tertiam,	est in alphabeto	c
Primam,	—	a
Vigesimam,	—	u
Decimam nonam,	—	t
Quintam,	—	e
Primam,	—	a
Septimam,	—	g
Quintam,	—	e

Hujus namque ordinis litteræ *caute age* significant. Potest et ita scribi, si causa secretior exigat.

Est et alterius modi computus. Scilicet quam iste, per digitos et artus. *Articulatim decurrens.* Id est per articulos, scilicet digitos manus. Ipse enim particulas exteriores decurrit. *Unum manu teneto.* Id est unitatem signa in manu. Manu, scilicet sinistra teneto, id est sicut ostendis unum in manu per minimum digitum, sic debes litteram *a* intelligere in ipsa digitorum inflexione. *Cum secundam* significas litteram, *duo*, scilicet teneto, et sic de reliquis, id est sicut numerus digitorum se ex ordine extendit, usque ad viginti tres, plures enim non habemus litteras. Et cum volueris demonstrare *k*, quæ est decima apud nos littera, ostende per eundem numerum per quem

ostendis decimam in manu tua. Item aliter : cum *l* volueris demonstrare, ostende eam per *k* et *A*, repetens a capite, quia *l*, undecima est apud Latinos. Et si volueris *x* demonstrare, quæ est vicesima prima littera, nota eandem per *u*, quæ est vicesima littera, et per *A*, quæ est prima. Et sic de aliis usque ad *x* ultimam litteram.

Sed hæc Græcorum computo litterisque facilius disci simul atque agi possunt, qui non ut Latini, paucis iisdemque geminatis suos numeros solent exprimere litteris, verum toto alphabeti sui characteribus in numerorum figuras expenso, tres qui plus sunt numeros votis singulis depingunt, eundem pene numeri figurandi, quem scribendi alphabeti ordinem sequentes, hoc modo :

α	1	unum	j	
β	2	duo	ij	
γ	3	tria	iiij	
δ	4	quatuor	iiiiij	
ε	5	quinque	v	
ς	6	sex	vj	
ζ	7	septem	vij	
η	8	octo	viiij	
θ	9	novem	ix	viiiij
ι	10	decem	x	
κ	20	viginti	xx	
λ	30	triginta	xxx	
μ	40	quadraginta	xl	xxxx
ν	50	quinquaginta	li	
ξ	60	sexaginta	lxi	
ο	70	septuaginta	lxx	
π	80	octoginta	lxxx	
υ	90	nonaginta	xc	lxxxx
ρ	100	centum	c	
σ	200	ducenta	cc	
τ	300	trecenta	ccc	
υ	400	quadringenta	cccc	
ψ	500	quingenta	d	ccccc
χ	600	sexcenta	dc	
φ	700	septingenta	dcc	
ω	800	octingenta	dccc	
π	900	noningenta	dcccc	ix

Quem scribendi alphabeti ordinem sequentes hoc modo. Si quemlibet nostri alphabeti litteram vis demonstrare, considera numerum, qui sibi in alphabeti ordine naturaliter est attributus, et tunc Græcam litteram non ejusdem nominis, sed eundem numerum significantis inscribe. Verbi gratia, si vis demonstrare *g*, quæ est septima littera in ordine nostri alphabeti, non ideo debes ponere gamma, quod eandem vim retinet apud illos, quia tertia est in ordine alphabeti illorum, et non septima ; sed potius zeta, quod septenarium numerum apud illos retinet, sicut et apud nos *g*. Illud autem animadvertendum, quia Græci per *s* et *a* elementa numeros exprimentes, a denario transibunt ad vicenarium, ab iota, scilicet, quæ decem, ad cappa, quæ significat viginti ; reliquos vero numeros, qui inter decem et viginti computantur, non per singulos characteres, sed per binos sibi invicem copulatos computantur, veluti si undenarium numerum ostendere velint, scribunt alpha, quod significat unum, et iota, quod significat decem ; sic et de reliquis, quod etiam in tali locutione observandum est.

γ	c	3
ϛ	u	20
ιβ	m	12
ιγ	n	13
κ	u	20
ιβ	m	12
ε	c	5
ιζ	r	17
θ	i	9
ικ	s	18
α	a	1
ιε	p	15
θ	i	9
γ	c	3
ε	c	5
ιγ	s	18
ιε	p	15
ιζ	r	17
ιδ	o	14
ιγ	n	13
ιδ	o	14
ικ	s	18
θ	t	19
ιζ	r	17
θ	i	9
ικ	s	18
θ	i	9
ιγ	n	13
ικ	s	18
ε	c	5
ιζ	r	17
ε	c	5
ζ	g	7
ιζ	r	17
α	a	1
θ	i	9
ιδ	o	14
ικ	s	18

Quarundam litterarum Latinarum numerus Græcus juxta seriem litterarum Latinarum in suo alphabeto.

Litterarum quarundam numerus ziphralis, secundum ordinem litterarum alphabeti Latini.

Hic autem habes certum exemplum, quo te in aliis exercere posses, ut in hoc carmine,

Cum numeris apices, pro nostris insere Graios.

Interim scies litteram *α* a Græcis sumptam, cum habeat figuram litteræ quæ apud illos vocatur *chi*, tamen apud illos nomen accepit per anastropheam vel conversionem hujus Græcæ litteræ quæ dicitur *xi*, inde apud Latinos *ix*. Quod autem nos per *c*, sive per *k*, sive per *qu* scribimus, Græci per solum cappa *k* scribunt. *V* etiam, quod non habent Græci, quoties sonum ipsius *u* exprimere volunt, per *o* micron et *y* psilon simul copulatos significant. Sed hæc loquela et scriptio numeralis ad litteras Latinas invenendum, litterisque scilicet Græcorum facilius disci simul atque agi possunt. Facilius enim cognoscunt Græci numerum ex suis litteris, quam nos ex nostris, quia unusquisque numerus habet suam propriam litteram, per quam intelligatur. Latini autem non intelligunt numeros, nisi paucis litteris, iisdemque etiam geminatis. Qui scilicet Græci, non ut Latini, paucis utuntur, sed omnibus litteris. Paucis vero, ut his septem tantum: *IVXLCDM*.

Quatuor ex his duplicantur, triplicantur et quadruplicantur, juxta numeri exigentiam, ut sunt hæc, *III*, *XXXX*, *CCCC*, *MMMM*. Græci enim omnibus suis litteris exprimunt numeros; verum toto alphabeti sui caractere, in numerorum figuras extenso, tres qui plus sunt numeros notis propriis, quæ ex alphabeto non sunt, depingunt. Prima est *ς*, quæ dicitur episimon, et est nota numeri *VI*. Secunda est *ϛ*, quæ vocatur cophe, et valet in numero *XC*. Tertia est *Ϟ*, quæ dicitur enneacosis, quia valet *DCCC*, quia ennea Græce, novem Latine; enneneconda, nonaginta; enneacosia, noningenta dicitur. Ii tres characteres numerorum licet interponantur litteris Græcorum, non tamen sunt litteræ, sed cujusdam numeri notæ. Episimon ideo sexto loco ponitur, quia formam semis habet, quod significat sex uncias, vel quia juxta

A epsylon stat, significans quinque. Cophe quoque idcirco ponitur juxta litteram *π*, quæ valet *XC*. Enneacosis in fine ponitur, propter ultimum numerum, qui est 900. Tres novenarias figurarum numeralium claudens, quia apud Latinos, ultra mille nullus est numerus. Græci vero cum mille *Μ* notant, per virgulam suprasignatam supra quamlibet numerorum notam distincte indicant, ut *Α*, etc.

Et quia in cæteris linguis hæc fieri possunt, nihilominus tres sunt principales linguæ: Hebræa primo, secundo Græca, Latina tertio.

Hebræa autem, duas et viginti litteras habet in alphabeto, et quinque, finales dictæ, ut:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת
ד ת ך ם ף ץ

B Sunt igitur per omnia Hebræis viginti septem litteræ, quæ in tres partes (ut hic apparet) secantur, et quælibet pars habet novem litteras: in prima vero novenaria sunt tantum unitates; in altera autem sunt decades, sive denaria; et in ultima habentur centuriæ, sive chiliades. Sic etiam Græcis est, qui (ut supra ostensum est) totidem habent, nempe septem et viginti.

Postea sequuntur Latinæ litteræ, quæ sunt tres et viginti, scilicet:

1	a	prima	
2	b	secunda	
3	c	tertia	
4	d	quarta	
5	e	quinta	
6	f	sexta	
7	g	septima	
8	h	octava	
9	i	nona	
Græca etiam littera	10	k	decima
	11	l	undecima
Media alphabeti littera	12	m	duodecima
	13	n	decima tertia
	14	o	decima quarta
	15	p	decima quinta
	16	q	decima sexta
	17	r	decima septima
	18	s	decima octava
	19	t	decima nona
	20	u	vigesima
Etiam Græcæ litteræ	21	x	vigesima prima
	22	y	vigesima secunda
	23	z	vigesima tertia.

Non est necesse de Græcorum numero hic amplius tradere, quia jam superius est scriptum, eundem pene numeri figurandi quam scribendi alphabeti ordinem sequentes.

Monet autem Beda hoc esse facilius apud Græcos, qui ad significationem numerorum omnibus alphabeti litteris et notis ex ordine utuntur.

D Qui et ideo mox ut numeros digitis significare didicerint, nulla interstante mora, litteris quoque pariter iisdem præfigere sciunt. Verum hæc hactenus.

Nunc ad tempora, quantum ipse temporum conditor ordinatorque Dominus adjuvare dignabitur, exponenda veniamus.

Numeros digitis significare. Quasi dixisset, sicut sciunt numerare et legere per easdem litteras, sic per eosdem digitos sciunt numerare, et litteras ostendere atque præfigurare. *Nulla interstante mora.* Id est tarditate. *Iisdem*, scilicet numeris, vel signis. *Præfigere*, vel perficere. *Sciunt*, scilicet illi Græci: id est secundum significationem numerorum. *Verum hæc hactenus*, scilicet dicta sufficiant. De indigitatione, jam satis.